

S. UDALRICUS CLUNIACENSIS.

277

longe post eius obitum monachus Cellensis monasterii, quod etiamnum in Silva nigra a S. hoc Udalrico nomen habet. At nihil profecisse adversa æmulorum contra Udalricum studia inde elucescit, quod S. Hugo, eodem teste, quia sciebat eum virtute ac sapientia totum esse compositum, suo etiam gregi apud illum confessionis aditum præparaverit. Unde, pergit, accedebant ad eum tam senes quam iuvenes, diversis passionibus laborantes, tanto sincerius, quanto securius conscientias suas illi aperientes. Ipse vero cum summa charitate omnes suscipiebat, & more sapientissimi medici congruis quosque pœnitentiæ remediis curabat. Diligebat autem omnes, & diligebatur ab omnibus. Sed maxime circa novos Christi milites eius animi ferebat affectus. Hos nimirum tamquam rudes & maioris consolationis indigos, frequenter ad se accersitos mira benignitate docuit, monuit & infrixit: illosque adeo in paternæ charitatis sinu fovit, ut ex hoc pater & dux novitiorum specialiter adpellari meruerit.

SECVLUM
XI.

Præfectus postea fuit Udalricus sacris virginibus in Marciniacensi cœnobio, quod S. Hugo in Æduensi dioecesi construxerat. Ab hoc sancto abbate missus aliquando in Germaniam, negotia monasterii apud aulam Cæsaris tractaturus, ut ipse in libro I. consuetudinum Cluniacensium rem enarrat, ad Nigram Silvam in Hirsaugiensē monasterium venit, illucque iterato divertit: ubi largiter habitus & beneficiis ad iter ulterius profequendum cumulatus, duos consuetudinum Cluniacensium libros S. Wilhelmo, uti promiserat, nuncupavit, addito subinde & tertio, quem tamen vitæ eius scriptor, qui adolescente demum seculo XII. scripsit, haudquam commemorat. „Ipse primum, (de S. Udalrico scribit,) petente Wilhelmo Hirsaugiensis cœnobii reverendissimo abbate, Alemanniæ monasteriis consuetudines Cluniacensis ecclesiæ invexit, quas plerique religionis monasticæ amatores tanto studio tantaque veneratione observant & amplectuntur, ac si opes regias se habere gratulentur. De quibus duos libellos luculento sermone composuit, quorum conscriptio tam per Alemanniæ, quam & aliarum regionum monasteria longe lateque pervolvit: quos si forte leges, quasdam divinæ servitutis, aliorumque officiorum, nec non obedientiæ, humilitatis fraternæque caritatis leges conscriptas in eis reperire, studium, ingenium quoque, sapientiamque viri inibi manifeste poteris cognoscere. Erat enim homo iste doctus paterfamilias in regno cœlorum, proferens de thesauro suo nova & vetera, unde multos ad scientiam erudit; ideoque sicut stella in perpetuas æternitates fulgebit. Quoties ad circumpositorum abbatum five monachorum cœnobia visitationis gratia veniebat, non ut hominem,

Mabil. altæ
SS. sec. VI.
P. II. p. 798.

M m 3

„sed